



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De
Imitatione Christi Libri Qvatvor**

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XIII. De obedientia humilis subditi, ad exemplum Iesu Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](#)

C A P. XIII.

De obedientia humilis subditi, ad exemplum Iesu Christi.

1 **F**ILI, qui se subtrahere nititur ab obedientia, ipse se subtrahit à gratia. Et qui quærit habere priuata, amittit communia. Qui non libenter *Mat. 16* & sponte, suo superiori se subdit, signum est, quod caro sua necdum perfectè sibi obedit, sed sàpè recalcitrat & remurmurat. Disce ergo celeriter superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subiugare. Citiùs namque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit deuastatus. Non est molestior & peior animæ hostis, quam tu ipse tibi, non benè concordans spiritui. Oportet omnino, verum te assumere tui ipsius contemptum, si vis præualere aduersus carnem & sanguinem.

2 Quia adhuc nimis inordinate te diligis, ideo plenè te resignare aliorū voluntati trepidas. Sed quid magnum, *Luce 2.* si tu, qui puluis es & nihil, propter *¶ Ioā.* Deum te homini subdis: quando ego ^{¶ 2.}

F 7 om-

omnipotens & altissimus , qui cuncta
creavi ex nihilo , me homini propter
te humiliter subieci ? Factus sum om-
nium humillimus & infimus , vt tuam
superbiam mea humilitate vinceres.
Disce obtemperare puluis. Disce te
humiliare terra & limus , & sub om-
nium pedibus incuruare. Disce vo-
luntates tuas frangere , & ad omnem
subiectionem te dare.

3 Exardeste contra te , nec patiaris
tumorem in te viuere : sed ita subie-
ctum & paruulum te exhibe , vt omnes
super te ambulare possint , & sicut lu-
tum platearum conculcare. Quid ha-
bes homo inanis conqueri? Quid for-
dide peccator potes contradicere ex-
probratiis tibi , qui toties Deum of-
fendisti , & infernum multoties me-
ruisti ? Sed pepercit tibi oculus meus ,
quia pretiosa fuit anima tua in conspe-
ctu meo: vt cognosceres dilectionem
meam , & gratus semper beneficiis
meis existeres : & vt ad veram subie-
ctionem & humilitatem , te iugiter da-
res , patienterque proprium contem-
prum ferres.

CAP.